Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1537

Quelle:
Copyright:

Scholaſticos pertinet Scriptor, quod et phraſis prodit, cetera Hiſtoriae etiam profanae non imperitus. Extrema Tractatus deſunt.

DCLVIII.

R. 3317 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 151. f. per duas columnas nitidiſſime exaratus, et coloribus ſpecioſus complectitur I. *Ruperti Tuitienſis* Abb. *Libros XIII. de Victoria Verbi Dei*, prout extant in Edit. *Veneta* T. III. 1749. p. 514. f. praemiſſo alio prolixo *Capitulari*, quam, quod Editioni ſubjectum eſt. Adeſt Praefatio ad *Cunonem* Abb. *Sigebergenſem: Nuper cum tu hoſpes* &c. Textus integer et ſincerus eſt.

II. *fol.* 105. *Incipiunt Epiſtole beati Bernhardi de claraualle ad diuerſas perſonas. Prima ſua ad Rudpertum fugitiuum Monachum reuocatoria.* XLI. Rubricae ſunt, primamque illam Epiſtolam praeit Narratio e *Vitae Bernhardi* L. I. c. 11. T. VI. *col.* 1083. qua ſcripta refertur *extra clauſtrum in medio imbre ſine imbre.* Epiſtola *Maurianis* XXXII. ad *Abbatem S. Nicaſii Remenſ.* nobis inſcribitur ad *Guidonem lanſenen. Epiſcopum.* Praeterea inter Epiſtolas hic occurrit *Tract. de Baptiſmo ad Hugonem de S. Victore*, ut habetur edit. *Maur.* T. II. *col.* 625. *Tract. ad Innocentium II.* contra Errores *Abaelardi*, ut *col.* 643. Epiſtola *ad Severinum Monachum de Caritate*, quod Opuſculum e *Richardo Victorino*, *Bernhardo* et *Petro Bleſenſi* compilatum legitur T. V. *col.* 389. absque *Severini* nomine ſimpliciter *de Caritate* inſcriptum, nobisque primis *Richardi* 4. Capitibus ita terminatum: *et quam ſe ipſum. Et haec de hijs ſufficiant.* Ubi Mauriani: *et quam ſe ipſum. de aliis;* manifeſto argumento, etiam eorum textum hic interruptum fuiſſe. Agmen nobis cogit, ſed fine mulctatus *Sermo beati Bernhardi abbatis de moribus infantum*, quem quidem hoc Rubro fruſtra quaeres. T. V. *col.* 373. inſcribitur: *De ordine vitae et morum inſtitutione*, incipitque: *Hortatur quidem timidam mentis meae* &c. nec *Bernhardi* eſt, ſed judicio Maurianorum cujusdam *Benedictini.*

DCLIX.

Codex partim membraneus, R. 3329 partim chartaceus lat. germ. Sec. primum XII. tum XV. Folior. 128. 4. parte priore eleganter exaratus et rubro enotatus inſcribitur: *Chriſtianus ad ſolitarium quendam de imagine mundi. Solitarius* hic, ut bis in margine expreſſum legitur, *Honorius* eſt *Auguſtodun.* Opusque iſtud pluries hoc *Vol.* refertur. Praeit Epiſtola *Chriſtiani*, in qua lege *et poſitionem orbis* pro *Expoſitionem*, cum *Honorii* reſponſo, in quo malo *in ſcientię profundo* quam *in ſcientia profundo*, item *tibi depingi formulam*, quam *tibi depingam formulam*, ut habent Edita T. XX. *Bibl. PP. Lugd.*